

terquam quod omnes Astronomicæ observationes nos docent, nunquam Cometas in Terræ peculiari vortice versari, sed liberè quaqua versum seu extrà seu intrà orbitas Planetarum ferri; quâ fieri posset, ut exhalationes tamdiu tantæ flammæ, si flamma est, materiam suppeditarent? nam Cometæ sæpe, ut diximus, per plures menses perpetuo apparuerunt.

§. IX. Quid Zeno, quid Epicurus circa illa errantia sydera senserint, nobis constare potest ex Diogene Laërtio, de vitis & Dogmatibus Clarorum Philosophorum. *Libro enim VII. in Zenone Segm. 153. ultimæ Menagiana Editionis* refert, illum docuisse, Cometas & pogonias & faculas, ignes esse subsistentes, quando crassior aër ad ætherea loca vehitur. Iubar autem, conferti ignis incendium, quod cito per aërem fertur ac longitudinis imaginem delinat. Pogonias vero appellabant Græci a similitudine barbæ Cometas barbatos, ut interpretatur *Cicero Lib. II. de Natura Deorum*. Hanc opinionem videtur partim amplexus Aristoteles, licet nullo satis firmo innixam talo. Præter rationes enim à nobis suprâ allatas, quibus refutatur, Cometam non esse ignem, figura constans, cauda non adversa motui, consistentia diuturna, materia levis, & ad spectu penetrabilis, & tandem motus magis regularis, quam in igne advertimus, conuincunt: tandem quod præter calorem nihil de igne habet. Addi etiam potest, quod *Fromundus* ipsis oculis caudam Cometæ anni 1618. spectavit in reflexione solaris luminis consistere. Mirum itaque non est, quod *Seneca, Quæst. Natural. Libro VII.* Zenonis & stoicorum sectator aliunde studiosissimus, ab iis hac in re dissenserit. *Ego, inquit, nostris non assentior. Non enim existimo Cometen subitaneum ignem,*

B

sed